

EXPLICAT. PSAL. X.

I. **I**n Domino confido, quomodo dicitis animæ meæ, transmigra in montem, sicut passer?

Vox Iusti, qui pulsatur tentatione desperationis, vt vocationem suam deserat ob multitudinē calumniatorum. In Domino, inquit, confido, qui vbiq; est, & omnipotēs est; quomodo dicitis animæ meæ, id est, cur mihi persuadere conamini. Iā enim supra diximus, phrasim esse Hebraicā, animæ meæ, pro mihi. Alloquitur autem vel Dæmones tētantes, vel ipsas internas suggestiones, hoc est, cogitationes à Diabolo immixtas; Transmigra in mōtem sicut passer, id est, desere vocationē, & hominū confortiū, & abi ad locum vbi nulla sint pericula, nullæ tentationes. Passeres enim, cū timēt aucupes, volant ad cacumina montium, ad quæ aucupes ascendere non possunt. Tales montes respectu tentationū nulli sunt, nisi in imaginatione hominum, qui cū tentantur grauitur, imaginātur mutatione locorū posse molestiam illam declinari; & qui desperant, ipsam etiā violentam mortem eligunt, ad quam fugiunt, tāquam ad montem. Iustus autē constans est, & locum suum non deserit, sciens vbiq; tentationes Diaboli, & vbiq; adiutorium Dei esse. In Hebræo habetur, Transmigra in montem vestrum passer, sed vocem, chem, quæ significat vestrum, Septuaginta legerunt, cha, quod est, sicut; & hæc sine dubio est lectio verior & clarior. Nam etiam S. Hieronymus sic vertit. Itaq; post tempora S. Hieronymi videtur hic locus corruptus in Hebræo, librariorum vitio.

II. Quoniam ecce peccatores intenderunt arcum, parauerunt sagittas suas in pharetra, vt sagittent in obscuro re-ctos corde.

Hæc est ratio, cur sit fugiendum ad mōtem, id est, deserenda vocatio præ nimio timore, quem tentatio suggerit; videlicet, quia mali homines assiduè persequuntur Iustos siue calūniis, siue alia ratione. Com-

parat autem calūnias, siue alias persequutiones sagittis, quæ iaciuntur in obscuro; vt significet eas calūnias, vel persequutiones non solum grauitur ferire, sed etiam vix posse caueri. In Hebræo habetur, Parauerunt sagittas suas in neruo: & secundum hanc lectionem, idem est intenderunt arcum, & parauerunt sagittas in neruo. At Septuaginta verterunt, Parauerunt sagittas in pharetra, vt significarent, non solum peccatores intendisse arcum, vt semel iacerent sagittam, sed etiam impleisse pharetrā sagittis, vt sæpius iaculari possent. Quamuis autē vox Hebræa leter, neruum, & chordam significet, & in dictionariis non inueniatur locus, vbi ponatur pro pharetra: tamen auctoritas Septuaginta Interpretū satis est, vt credamus etiā pro pharetra accipi posse. Quod Latinus codex habet, in obscuro, & Hebræus in caligine, in Græco est, in obscura luna; sed in re nulla est discrepantia. Nā obscura Luna significat noctem carentem Lunæ splendore, siue sit nebulis tecta Luna, siue sit cū Sole coniuncta, aut Soli vicina. Possent hi duo versiculi etiā hunc sensum habere, In Domino confido, quomodo dicitis animæ meæ, transmigra in montem sicut passer, quoniam ecce peccatores intenderunt arcū, parauerunt sagittas suas in pharetra, vt sagittent in obscuro re-ctos corde. Id est, non licet iam esse recto corde, quoniam vndiq; tenduntur insidiæ re-ctis corde, idè vel oportet in montem inaccessum extra homines recedere, quod fieri non potest; vel cedendum est consuetudini, & deserenda via iustitiæ. Sed huic tentationi respondet iustus: In Domino confido, & idè nec in montem inhababilem abibo, nec deseram viam iustitiæ.

Quoniam quæ perfecisti, destruxerunt, iustus autem quid fecit?

Confirmat Propheta per apostrophen ad Deum, verū esse, qd peccatores iniustè persequuntur Iustos. Quasi dicat, verum est, quod audiui de impietate peccatorū. Nam peccatores destruxerunt ea quæ tu perfecisti, id est, leges tuas perfectissimas, necnon consilia, & ordinationes oēs tuas quas posuisti

הרכם

כציפוד

תתד

III.